

XCI.

Anno 1350. die 10. Julii. Budae.

Stephanus, totius Slavoniae, Croatiae et Dalmatiae Dux,
antiquas libertates civium Zagrabiensium tuetur.

Stephanus, dei gracia totius Sclauonie, Croacie & Dalmacie Dux, fidelibus suis vniuersis Prelatis, Baronibus, Comitibus, Castellanis, Nobilibus ac eorum vices gerentibus, item ciuitatibus, villisque et earum rectoribus, nec non quibusuis alijs hominibus cuiusuis condicionis et preeminencie existant, et specialiter tributarijs in dicto Regno suo Sclauonie constitutis et constituendis in futurum, quibus presentes ostenderentur, salutem et gratiam. Querele nunciorum civium nostrorum de monte Grech, in eo, quod per nonnullos extraneos contra eorum libertates ab antiquo conseruatas perturbarentur, aures nostre maiestatis humilime propulsarunt; vnde cum nos dictos ciues nostros seu hospites de Grech, in eorum libertatibus, ab antiquo obseruatis, velimus conseruare, fidelitati vniuersitatis vestre, ducali edicto, firmiter precipientes mandamus, quatenus predictos ciues nostros, contra eorum libertates, in nullis casibus indebite et iniuste molestare, agrauare et perturbare presumatis. Aliud, sicut nostram indignacionem incurrere formidatis, non facturi in premissis. Datum Bude, feria sexta proxima post quindenae festi natiuitatis beati Johannis Baptiste. Anno domini M^oC^oC^oC^o quinquagesimo.

Orig. membr. in mea collectione Diplomatum originalium.

XCII.

Anno 1350. 3. Kal. Novembris.

Ludovicus, Hungariae et Croatiae Rex, Stephano Lacković, Transylvaniae Voivodae, ob insignia bello Neapolitano parta merita, castra Osztrog (Strigovo) et Csaktornya (Čakovec), inter Muram et Dravam (Medjumurje) sita, donat.

Ludovicus, Dei gratia Hungariae, Jerusalem, Siciliae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Lodomeriae, Galiciae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, Princeps